SPECIMEN INAUGURALE DE DAMNIS EX NEGATO MATRIS LACTE IN FILIOS...

Pietro Antonio Apollonio



30

SPECIMEN INAUGURALE
DE DAMNIS
EX
Negato Matris Lacte
IN FILIOS MATRESQUE IPSAS REDUNDANTIBUS

QUOD ANNO MDCCCXXXIII

AD MEDICAM LAUREAM

RITE OBTINENDAM

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE PROPONIT

PETRUS ANTONIUS APOLLONIO

ILLYRICUS EX GRADO



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIII.

PATRIS · DESIDERATISSIMI

SACRIS · CINERIBVS

HOC · PRIMVM · STVDIORVM

SPECIMEN

QVOD · VIVO · NON · LICVIT

FILIVS

METAM · OPTATAM · ADSECVTVS

DEVOTI · GRATIQ · ANIMI

M ·

VENERABVNDVS · DICAT

Debent meo quidem consilio partus ipsae nutrire genitrices, hisque praebere ubera.
Plutarch. De instit. liberorum.

Nulla quidem aetas in homine, quae medici gravi cura et diligenti sollicitudine non indigeat. Is enim humani corporis constitutionem, mutationibus fere obnoxiam quotidie, ita physica subtilitate perspicit ac rimatur, ut vel mala, si velit, praecavere, vel vitia possit corrigere, quae pro varia aetatis ejusdem conditione, pro multiplici rerum circumstantium atque necessariarum natura brevem hujusce vitae cursum plus minusve perturbant. Vix enim in lucem susceptus est homo, aliorum ope vel maxime indigere se sentit, et circumiri necessitatibus, queis satisfacere per se ipsum cum nullatenus valeat, vagitibus debilique membrorum agitatione auxilium implorare videtur. Hinc ille vitae conservationem petit, parentes clamat vicinos, felix nimium fortunatusque si matrem sui muneris obliviscentem non habeat. Maternas quippe curas edocta facile tunc prorsus intelliget quibus opportune subsidiis utendum, ut prompta ac libera in infante sit respiratio, ut quodvis haemorrhagiarum mortalium periculum removeatur, et, prout convenit, semper

eadem tenerorum membrorum temperatura servetur. Intelliget eam insuper quantitatem cibi qualitatemque esse adhibendam, quae illi minus officiat, nec vim digestionis excedat. Sed tristis nimium experientia docuit, tertia ex parte perire infantes eo quod saepissime vel negligitur, vel ignoratur omnino nutricandi ratio; docuitque praeterea matres ex prava consuetudine recepta suos non lactandi, atque ita naturae finem et ordinem pervertendi, semetipsas cum infantibus multis incommodis gravissimisque malis objicere : unde eveniat necesse est, ut vel mors intempestiva sequatur, vel vita semper sit infelix et aerumnosa.

Hinc ejusmodi nos argumentum pertractandum suscipimus, quod non immerito diligenter attendere ii omnes debent, qui de publica volunt esse utilitate solliciti. Jure optimo muliebrium hinc, inde infantilium tractatores morborum hujusce sollicitudinis necessitatem jam ostenderunt, eamque negligi passim graviter philosophus et amicus hominum questi sunt. Quoniam itaque numquam satis, quae vere atque utiliter praecipienda sunt, inculcantur; non frustra nec forsitan improbandum laborem me suscepisse confido, si breviter primum antiquos usus recentioresque recenseam de lactandis infantibus, et si deinde veluti in tabula exhibeam ea damna, quae proli aeque ac genitrici ex usu negandi lactis proveniunt. Hoc ingenii mei, qualecumque demum sit specimen pro singulari benignitate excipiant praeclarissimi Viri, qui studiorum meorum duces adjutoresque fuere.

Vehementer profecto quovis tempore populorum omnium interfuisse munus lactandi filios, facile intelliget quicumque vel etiam leviter in historiis versatus est. Et sane si ab antiquis exordiamur, jam scimus apud Hebraeos Abraham eo die magnum celebrasse convivium, quo filius Isaac a lacte depulsus est (1); quin de Sara narratur eo ipso die lactasse filios mulierum, quae interfuere convivio, ut, ex Rabbi sententia, se genuisse revera ostenderet (2). Laudabilis haec consuetudo apud Lacedaemones deinde viguit; quin etiam memoriae proditum est, filios, cum a lacte transierant, in templum Dianae Coritalliae consuevisse matres portare, ubi pariter gentile convivium habebatur, lacteusque porculus mactabatur in honorem ejusdem Deae (3). Ad Romanos deinde transiit hujusmodi consuetudo, atque Edusae et Potinae Cato meminit, quae quidem ambae infantibus praeerant, et a matribus invocabantur cum filios ab ubere dimovebant (4). Neque ea tantum de causa hunc ritum invaluisse credendum est, ut gratiae Numinibus agerentur, sed ut potissimum veri nominis matres honore debito afficerentur, distinguerenturque simul ab iis, quae omnem prorsus materni muneris curam praetermittentes, nutricibus prolem committunt, nutri-



(1) Genesis XXI.

(2) Stuckius Antiquit. l. 1.

(3) Athenaeus lib. 4.

(4) Lochnerus De fest. Tithenid. Dian. Coritall.

cibus, inquam, quae sane matrum naturam, ut ait Rousseau, quodammodo exuisse videntur, cum pretio conductae per summum dedecus suam alienae proli postponere non erubescunt, quaeque hinc cum lacte mercenarios habent affectus, ac proinde in earum locum perperam sufficiuntur. Eo tempore, quo toto fere in orbe terrarum Romanorum imperium diffusum erat, quaenam in Urbe domina ditiores lectissimaeque feminae, paucis exceptis, suos partus lacte reficere et enutrire dedignabantur? Quod si maternum hoc inviolabile munus aliquando neglectum, monemur ex Tacito matribus fuisse lege praescriptum; si Caesar ipse cuidam feminae alienam prolem lactanti acerrimus exstitit exprobrator; semper tamen tanto in honore sunt habitae, quae filiis ubera praebuissent, ut matris nomen illis tantummodo tribui M. Aurelius jure meritoque voluerit.

Quod si antiquitus Romae aliquando factum est, ut filios suis nutrire mammis recusaverint matres; hoc ideo fecisse dicendum est, quod physicam eorum constitutionem tali pacto perficere existimabant, imitantes propterea hac in re Graeciam illam, quae licet serva, fuit tamen Urbi dominatrici pulchritudinis atque utilitatis magistra. Et re quidem vera maxima bellandi cupido, hinc robustiorum militum deligendorum necessitas in causa praesertim fuere, cur apud veteres etiam Graeciae populos spartanae nutrices eligerentur, quippe quas velut optimas filiorum educatrices fama nominis commendabat. Hinc factum, ut A-

micla vocata esset Athenas, et tradita nutrix Alcibiadi (1). Qua in re insignis etiam Plato, ut morem suis civibus gereret, quae in bona nutrice requiruntur, describere dotes voluit (2).

Sed postquam mores ad mollitiem lapsi delicatioris vitae commoda luxumque invexerunt, cepit populos officiorum oblivio, eorum etiam, quae ab ipsa natura sunt constituta, et valde hominibus commendata. Non amplius proinde cura, nobilissima ceteroquin, cives optimos procreandi, non huic muneri satisfaciendi impossibilitas, sed solum divitiarum copia delevit in matribus quod est illis naturaliter insitum, et filiorum educatio alienae sollicitudini demandata atque adeo relicta. Quod quidem suos apud cives Quintilianus graviter deplorabat, illud etiam docendo, nobiliores antiquitus a lacte dando minus abstinuisse matronas. Quod si divitiis accessisset nobilitatis conditio, tunc mulieres, Hebraeis non exceptis, ab hoc munere eximebantur; plebejae non item, quae ex jure mariti ad filios lactandos impelli poterant (3). Sed non possumus et nos exclamare verbis ipsissimis Frank: *Una ricca dote o il possesso di due schiave saranno forse state capaci di preservare le voluttuose Romane o le agiate Ebree da quei mali che l'affluenza del latte può accagionare alle stesse regine? La ricchezza materna po-*

(1) Plutarch. Lycurgus in vit. paralell.

(2) Plato De legib. l. 7.

(3) Talmuth. Raabische Uibersetzung III. Thl.

yoa

trà ella adunque far cessare ed annullare i diritti dei figli (1)? Quibus profecto verbis potissimum exprobrantur mulieres nostrorum temporum; quandoquidem et poetae suis versibus celebrando maternae hujus curae dulcedinem, et physici gravitatem ejus atque necessitudinem ostendendo, medici demum usum frequentissime commendando, ad inviolabilem hujus naturae legis observantiam eas revocant et quodammodo impellunt.

Natura scilicet mater omnium doctissima atque amantissima feminas ita instruxit et comparavit, ut eis nihil ad munus praebendi lactis omnino deesset. Quod si omnes mulieres integram a parentibus accepissent constitutionem corporis, eamdemque minus vitiassent, si alia illis esset vivendi ratio, si consuetudo socialis, animi levitas, praejudicatae opiniones, effrenata libido, omnis denique generis vitia curam in matribus erga suos amoremque propemodum non exstinxissent; usus lactandi filios apud nos pariter, ac apud rudes plerosque populos invaluisset, talique pacto satisfacta natura ea omnia incommoda, pericula ac mala arceret, quae ex contraria consuetudine in matres natosque solent redundare.

Et sane postquam fetus per statutum tempus in sinu matris vitam duxit suam, injuria prorsus et imprudenter vix in lucem editus alienis nutritur succis, cum nullo modo rationi consentaneum videri possit, nutrimentum quodcum-

(1) J. P. Frank System. der medicinisch. Polizei II. Art.

que illi esse dandum, a quo vel unum rarissime absque noxa accipitur. Quapropter providentissimo quidem consilio a natura statutum fuit, ut quae filii curam, etiam antequam nasceretur, sedulo gessit, eum alere ac nutrire deberet, et spectabile velut opus perficeret, quae aliter agendo matris nomine prorsus esset indigna.

Vix in lucem susceptus puer indiget statim ut ei tubus intestinalis excremento purgetur, quod appellatur meconium: cui rei nihil magis quam lac genitricis prodesse potest. Lac enim primum statim a partu colostrum dictum purgativam vim habet, ac proinde alimenti vere medicinalis instar pro infante dicendum est. Colostrum denegetur infanti, medicamentis opus erit ut meconii collectio in intestinis, vel humorum densatio in superficie corporis impediatur, et ut facilis crassiori cibo aperiatur veluti via: unde saepenumero viscerum obstructiones, et in abdomine tumores oriuntur atque virium confectio, cujus indicia prima esse solent frequentissimi vomitus, adeo ut infantes alieno, quam materno, lacte educati cibos datos rejiciant. Praeterea si qui nutricibus dantur, aut animalium lacte nutriuntur, vel mixto victu, non raro primoribus vitae diebus aphthis in ore, in tubo gastro-enterico, colicis, alvi obstipationibus aut solutionibus diarrhoeicis dysentericis fiunt obnoxii. Quorum omnium evidentissime causa patet. Etenim animalium lac in suis principiis componentibus longe ab humano differt: siquidem ad illius qualitatem facit pluri-

mum pabulatio, aetas ipsa et amorum tempus. Accedit quod vel ex natura sua, vel ex modo praebendi frequentissime corrumpatur, et magis atque magis patebit non esse delicatis infantibus nutriendis peropportunum.

Quid si nutrices non aeque ac matres feliciter prolem enutrire posse dicamus? Quandoquidem postquam novenos menses maternis humoribus adsueverint, nequeunt infantuli sine maximo detrimento ex. gr. ab uno ad aliud lactis genus atque usum transire, diluti videlicet antea, deinde crassi densique, ex muliere pacatae indolis antea eliciti, postea ex femina fervidae ardentisque naturae. Et quamvis morum perversitatem ex vi educationis praesertim pravisque exemplis hausisse, quam suxisse cum lacte videamur, tamen quis est unquam qui neget ex usu lactis nutricis passione aliqua affectae detrimenta maxima oriri? (1). Interdum enim terrore subito vel ira percelluntur nutrices, vel aliquo alio modo vehementissime perturbantur, nec tamen sic male affectae abstinent a lacte dando: unde fit, ut in subitum morbum plerumque incidant puelli, convulsionibus



(1) Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Virg. Aeneid. IV.

Mein Herz war, seit es schlaegt, das Zaertlichste der Welt
Und meiner Amme Milch war Liebe, wie ich glaube.
Wieland.

et epilepsia corripiantur: quibus profecto morbosis affectionibus toto vitae suae tempore obnoxii fiunt. Praeterquamquod fit saepissime, ut nutrices infantes vitient, iisque latentes morborum dispositiones infeliciter inserant, minus quam decet et oportet sordes eluant, pro lacte cibum difficilis praebeant digestionis, sopientibus etiam adhibitis clandestine substantiis: ex quibus omnibus, puerorum sanitas infirmatur, intellectualis facultas opprimitur, ipsa vita aliquando miserrime aufertur. Quare filius qui mercenariae mulieri traditur nutriendus, illi plantae non immerito potest comparari, quae ab eo, in quo nata est, in alienum solum transfertur. Si prius bonos fructus copiososque producere paratam habuimus, in terra non sua languescere, degenerare, siccari et perire videmus.

Haec breviter mala sunt, haec damna, quae in delicata simul et imbecilla corporis constitutione manifestantur in iis, qui materno lacte minime nutriuntur. Quibus asperis sane casibus si matrum culpa subjacent immerentes filii, natura laesa eas afficit debita punitione, a quibus praecipue tot mala proficiscuntur. Natura, inquam, ipsa quodammodo extollit vocem suam, et funesta series incommodorum ulciscitur violata jura infelicium.

Et revera postquam mulier peperit, vacuus jam factus clauditur statim uterus, et ad pristinum statum restituitur; unde fit, ut fluidorum antea se discernentium impediatur accessus. Hinc etiam

consequitur, ut illa plethora partialis (1) efficiatur in posterum universalis. Quae quidem plethora cum minuatur per secretionem lactis in mammis, lac praebendo duplex isque optimus obtinetur effectus. Humor nempe lacteus secretus instar emunctorii est matri, et alimentum in infanti peropportunum. Sic sentit Profess. meus clariss. physiologorum Nestor Gallini: « Lochia alba proveniunt ex humore albuminoso copiose effluente a superficie interna uteri, qui humor primo absorbetur sensim sensimque in majori quantitate a lymphaticis uteri. Fluidum vero illud albuminosum majori quantitate absorptum a lymphaticis uteri colligitur majori quantitate in truncos lymphaticorum ad mammas pertinentium, et ibi premit contra tubos lateraliter prodeuntes et lactiferos dictos, ita ut fluidum illud sibi paret viam per hosce tubulos, et effluat a superficie papillae mammarum praesertim quando hae comprimuntur ab infante sugente. Sed tunc fluidum illud adsimilatum et conversum est in lac a quo infans natus primo plerumque aetatis anno accipit maximam nutrimenti partem ad reparandas jacturas, et ad incrementum progressivum sui corporis ». Ex hoc in mammis organa, quae vices uteri gerunt. Quamobrem admirari debemus quali quan-



(1) Est celebrium virorum opinio, uterum sub graviditate in inflammationis physiologicae dictae statu versari; et quae Scossi et Kreissig argumenta adduxerunt, a prof. Tommasini nuperrime magis magisque confirmata fuerunt.

toque studio natura invenerit aequilibrium et vitae oeconomiam, quantam ad hoc adhibuerit sollicitudinem, quantamque sollertiam et quasi dixerim sagacitatem. Quae sane omnia frustra essent, si robur corporis a natura sortita mater naturae crudeliter jura laederet, curasque aspernaretur. Ut sensim in uberibus lacteus humor colligitur, elicitur etiam infantuli suctu, atque ita spatio temporis interposito reducitur aequilibrium, unicum vitae et sanitatis indicium, muliere in statum pristinum restituta. Quae quidem utilitas ignoratur ab iis, quae suam prolem tradunt nutricibus, quaeque propterea, beneficio lactandi cessante, topicis et universalibus etiam morbis crudeliter opprimuntur.

Mammae, in feminis praecipuum decus et ornamentum, post uterum primaria organa his in casibus crudeliter afficiuntur; et si minus in toto organismo lethales producuntur effectus, plerumque tamen pulchritudinem teretesque formas amittunt. « A lacte suppresso, ait celeberr. Fanzago, ac retroeunte cum localia tum universalia incommoda derivantur. Cum in uberibus consistit, eadem intenduntur, inflantur, dolent, inflammantur: suppuratio subsequitur, ac saepe scirrhosa durities. Si retrocedat, metastases in promptu sunt, indeque in diversis corporis partibus lactescentes tumores erumpunt ». (1) Et sane turgores tumoresque lactei, tamquam primi effectus a

(1) Fanzago. Instit. patholog. Pars II.

causa, originem habent a lacte, quod in mammis colligitur, nec ab illis extrahitur sugentis ore. Sub morbosa hac affectione meatus obstruuntur lactiferi, et ab adfluente humore tenduntur: unde sequitur ut continuata pressione fluidi, ruptio fiat saepenumero, et in cellulari textu oriatur effusio, ut praeclar. ipse Frank in ticinensi Nosocomio occasionem habuit observandi (1). His in casibus reservata semper prognosis fuit jam ab aetate clariss. Fabricii ab Aquapendente, ut ex immortalis Morgagni operibus clare patet: « Quod ad mammarum tumores attinet, hos quidem tempore lactis obortos, negat Fabr. noster ab Aquapendente unquam se non sanatos vidisse. » Quin etiam illustr. Zimmermann tanquam observatione dignum notavit, indurationes hujusmodi saepe in occultos, et post viginti tantummodo vel triginta annos in exulceratos cancros transire. (2) Nec tristes hos exitus impediunt omnino medicamina sic dicta antilactea, ad summum innocentia, quibus tantam tribuerat virtutem empirica medicina: quippe contra naturam non sine magna difficultate nitimur et reluctamus. Maxima utilitas accederet medicinae (ita sentit Gardien) si ex pharmacologiis supradicta medicamina antilactea, quae plerumque contraindicantur, delerentur; tutius remedium efficaciusque positum est in usu lactan-

(1) Della maniera di curare le malattie umane Tom. 8.

(2) Zimmermann. Von der Erfahrung in der Arzneywissenschaft. Kap. X.

di: lactantibus enim hujusmodi nunquam morbi subrepunt.

Sed stimulus lactis semper urgens solam nunquam potest congestionem producere: agendo enim veluti corpus externum majorem vel minorem excitat inflammationem; hinc gravissimae commotiones, hinc dolorum acerbitas sub axillaribus glandulis propagata, et quae minoris periculi sunt, grave afferunt detrimentum. Resolutio in inflammationibus utilissima atque unice optanda hoc in casu difficiliter admodum haberi potest. Facilis subsequitur suppuratio, sed « longa tamen, varia et permolesta haud raro pariunt incommoda antequam abscessus, in quos abeunt, persanentur » (1). Gradatim ipsa sibi aperit viam, nec antea cessat, quam glandulam omnino consumpserit: quod si casu contingat, ut sanetur, contingere nullo modo potest, ut in pristinam formam atque integritatem mammae restituantur. Alter ex effectibus, qui plerumque infeliciter solent oriri, est scirrhus propter peculiarem structuram hujus organi atque dispositionem. Quod si huic praedispositioni addatur summa causarum, quas actio sympathetica inter uterum mammasque constituit, maxime nobis verendum est, ne summa damna et pericula consequantur. Testatur enim Burserius, nullo profecto magis vitae tempore quam in puerperio morbis, de quibus loquimur, mulieres obnoxias es-



(1) Morgagni. De sed. et caus. morbor.

se. (1) Et quoniam de scirrho jam dictum est, facile incidimus in cancri recordationem, qui illum veluti necessario sequitur cum eoque sociatur. Nam si ab initio statim illius origini et progressibus obstari nequit, suapte natura tamen in canceraticam degenerationem convertitur. Ad hoc opportune celeber. Tommasini: *Per maggiore sventura e tormento degl' infelici, vittime di questa malattia, i passi dello scirro verso il cancro sono lentissimi ed accompagnati dal più desolante avvilimento, ed il corso stesso di tale degenerazione è pure da lunghi tormenti accompagnato, e termina in una morte tanto più crudele perchè stentata* (2).

Hujusmodi tamen incommodis non solae mammae afficiuntur; et licet aliquo pacto vel artificiose vel naturaliter fiat, ut mala, de quibus supra diximus, in ipsis haud sequantur; uterus tamen cum nequeat plenitudini humorum affluentium resistere, damna subit eo graviora, quo minus ejus structura et actio physiologica noscitur. Et re vera inflammatio, quam iisdem subsistentibus causis in mammis oriri vidimus, oritur etiam in utero.

Metritis itaque morbus est frequens in feminis non lactantibus, cujus origo clarius cognoscitur si attente consideremus, ea superveniente in puerperas, etiam aliis de causis, mammam turgorem amittere suum. Inflammationem varii consequuntur effectus interdum tristissimi, indura-



(1) Burser. Instit. med. pract. Vol. I. Pars II.

(2) Tommasini. Dell' Infiammazione.

tiones videlicet, et ejusdem uteri canceraticae degenerationes, quae non ita facile cognoscuntur, nunquam vero sanantur.

Pluries in vitae decursu et diversis de causis metrorrhagiae solent oriri. Inter causas autem, ex quibus in puerperio metrorrhagia producitur, crudelis usus procul dubio est recensendus lac infantibus denegandi. Et sane in eo viscere collecta sanguinis quantitas a lochiis etiam adaucta non potest quin minimorum dilatet oscula vasculorum, quae sanguinis illuc non intermisse affluentis perenni nequeunt compressioni resistere. Hoc in casu si quod haberi potest remedium efficax, habetur praesentissimum in suctu lactis, constituto hic veluti centro derivationis ab ipsa natura quaesito.

Incommodus ille fluxus et fastidiosus, de quo tam saepe queruntur feminae, quique a plerisque fluor albus et a medicis leucorrhoea nuncupatur, originem habet non raro ex eo quod nimis crudeliter lac infantibus negatum est. Siquidem stimulus ortus ex affluentia sanguinis in eam partem, acutam initio statim habet effusionem veluti consequentiam, quae progressu temporis in vasculis ex continuata hujus fluidi pressione exstimulatis illud efficit, ut humorem quem antea retinebant ex contracta consuetudine vitiosa effundant. Ex facta observatione ab hominibus fide dignis jam constat, eas omnes fere mulieres, quae a lacte praebendo abstinent, hoc affici incommodo; non item illas, quae hac in re providentissimas natu-

rae normas sequuntur. Ut nemini dubium de hoc relinquatur, animadvertisse sufficiat, nutrices feminasque plebejas et rusticanas, quibus adhuc est cognitum munus lactandi suos valetudinis integritate esse praeditas.

Magnis igitur damnis iisdemque gravissimis et fatalibus organa singula immediate generando fetui et nutriendo jam destinata sunt obnoxia plerumque, tum ex laesionibus idiopathicis in eorum peculiari structura, tum etiam ex ordinariis eorumdem functionibus perturbatis. Quamquam non omnia, quae a lacte negando matribus inferuntur, damna commemoravimus. Si saepe ad mammas et uterum tantum extenditur depravatae consuetudinis effectus tristissimus, saepe etiam ulterius progreditur; et in subdolis gravissimisque morbi processibus, qui vel simultanee vel separatim oriuntur, in aliis oeconomiae animalis partibus manifestantur. De quorum processuum origine atque conformatione loquentes, non est cur adeo exagitatam quaestionem proferamus in medium et pertractemus; utrum videlicet fiant metastases ex motuum consensu, sive ex reali materiae translatione. Indicasse enim sufficiat, multas ab illustr. pathologo Buffalini factorum species referri, quorum vi a postrema hac opinione nobis recedendum non esset. (1) Sed quaenam

(1) Un ascesso che si vuoti ed intanto si versi pus nella cavità del petto e dell'addome: l'orina che scompaja dalla vescica e si trovi nei ventricoli del cervello, non che il caso

media, quaenam viae unquam indicatae jam et verosimilis transvectionis materiae? Num cellulares, ut opinantur Haller et Wanswieten? Num membranacea Rasorii porositas, aut facultas lymphaticorum absorbens perillustr. Fanzago? Dubitanti respondeat egreg. Tommasini: *L'arcano è tuttora coperto d'impenetrabile velo. Ma se vieta la sana critica al patologo di perdersi infruttuosamente nell'esame di fatti non abbastanza verificati, incontrerebbe d'altronde taccia d'irragionevole incredulità negando un fatto perciò solo, che non ha mezzi a spiegarlo* (1).

Ad metastasin procul dubio referatur oportet crudelissimus quidam morbus, saepe lethifer sic dictus peritonitis, cujus causa undenam certius repetenda quam ex vitiosa et culpabili filios nutriendi neglectione? Ante omnes exactam hujus morbi descriptionem dedit Anglicus medicus Willis, ejusque originem ponit in metastasi lactea, consentientibus hac in re celeberr. artis obstetricae scriptoribus. Animadvertatur, quaeso, parumper quomodo operetur natura, et facile erit cognoscere ita eam mulieribus consuluisse, ut illico post partum ejusmodi fiat rerum mutatio, ut quod an-



osservato dal dottor Malagò di un vomito orinoso curato col solo tenere a permanenza la sciringa in vescica, e l'osservazione dell'espertissimo dottor Venturuoli mostrante la strada percorsa della materia metastatica possono veramente additare la realità della metastasi di materia. Buffalini Patolog. Gen. Tom. I.

(1) Tommasini Oper. cit. Tom. 2.

tea fetus in utero nutritioni inserviebat, ad nutriendum neonatum in mammas transeat; ac proinde si id aliquo casu nequeat contingere, omnia ea damna quae ex metastasi producuntur, facile oriri necesse est. Favet huic opinioni observatio facta, mulieres, quibus in mammis servatur lacteus humor, et suctu elicitur, hujusmodi detrimenta non experiri. Nec pathologia anatomica hoc in casu nos deserit, quae in causa fuit, cur acerrimos etiam metastasis adversarios ad silentium compulerint experimenta felici successu habita, ad quae neganda impar admodum est ratiocinationum vis. Febris epidemicae puerperalis anno millesimo septingentesimo septuagesimo secundo Vindobonae saevientis descriptionem habet celebr. Fauken. (1) Ibi legimus, in tot infelicium morbi hujus acerbitate et vi confectarum mulierum autopsiis inventam esse pseudomembranam materiae lacteo caseo similis, ventris imi viscera circumdantem, et totam pectoris et abdominis cavitatem seri lactei odore repletam. Ex testimonio autem meorum illustr. Professorum, (qui praeteritis nuper annis elapsis ea in urbe nosocomium frequentabant, ubi tria inter millia circiter puerperarum quovis anno trecentum cadavera mulierum fere omnium ex peritonitide puerperali mortuarum secantur) talis et tanta est qualitas et quantitas humoris serosi et flocei, quo cavitas imi ventris in cadavera repleta solet reperiri, ut ejus

(1) Medicinisch. Comentar. Leipzig. XIX. Band.

origo non ita facile posset explicari ex simplici copia transudationis et ex inflammatione, quae semel evoluta saepe intra biduum vel triduum mortem affert, quin ad metastaticam lactei seri effusionem confugiatur, quae hisce in casibus in mammas non influit. Si igitur magna pars medicorum ex experientiis ostendunt hujus morbi causam a lacte non elicito repetendam esse, adeo ut Burserius asserere non dubitaverit: » Praestantius non » novimus auxilium tam ad mammas tuto molliendas, quam ad advertendam lactis metastasin lactatione «; si cadaverum sectiones ostendunt ibi materiem collectam esse, ubi conditio morbi pathologica exsistit, quomodo unquam, quin doleamus, tot feminas intueri poterimus, quae sponte adeo ingens periculum, inevitabile tamen, per summam stultitiam suscipiunt?

Qui puerperis aliquando praesto fuere, meminerint observasse ad loca inguinibus et matricis lateri proxima quosdam tumores post partum feminam aliquando corripere non sine sensu doloris; qui tumores a doctissimis, inter quos Levret, lymphatica vel lactea indole praediti in textu cellulari adipato vel in majoribus uteri ligamentis sedentes notati sunt. Hi majora vasa sequentes viam sibi aperiunt musculos inter, psoas et iliacos. De quorum exitu succurrit aphorismus celebris Mauriceau sic docentis: *Sono mai sempre di tardissima guarigione, e se apostemano mettono la donna in pericolo della vita.* Eidem pariter causae in inferioribus partibus et in lumbis tribuendi

censentur gurgites, qui cum a febre puerperali originem habeant, a lactis ibidem collecti penetratione pendere videntur. Quoniam » lactis secre» tione, ut ait Fanzago, in puerperis impedita, » uterus inde laborat, lactescentesque tumores in » artubus ac prope lumbos gignuntur ».

Sed quocumque oculos convertamus, periculosi ubique nobis sese offerunt effectus lacteae metastasis, magis tamen vel minus ex affecti visceris qualitate. Jam inde a temporibus patris nostri notatum fuit in febri puerperali delirium symptoma esse metastasis in cerebro extimescendae (1). Quod si in suis prognosticis Hippocratem non errasse medici omnes cognoverunt, opinionem ejus hac etiam in re veluti certam non improbarunt, et celebr. Frank occasionem habuit confirmandi doctrinam hanc in muliere puerpera ferocissimo delirio et encephalitide adfecta, quae nunquam ad sanationem pervenisset, nisi prius per adultos mammae suctae fuissent. Quin etiam monet hoc in loco vir ille, summam esse praecautionem a sugentibus adhibendam, memor observationis a Levret factae, qui cum duos huic officio praestando catulos supposuisset, lacte non aliter ac veneno imbutos non multo post periisse est admiratus (2).

Mirum sane quod narrat Langhans de quadam femina, quae cum a lacte dando abstineret, sin-



(1) Hippocrat. Aphorism. XL. lib. V.

(2) Levret, Art. des Accouchm.

gulis mensibus, diebus paucis ante menstrua in summis pedum et manuum digitis doloribus atrocissimis cruciabatur, nec antea liberam se sentiebat, quam affectis ex partibus certam puri lactis exsudasset quantitatem (1). Haud raro in hisce casibus observatur violentissimis arthritidibus mulieres corripi, non ita facile, efficacissimis etiam remediis adhibitis, liberari, nec nisi casu mortem effugere; quod ubi contigerit, saepe toto vitae tempore effectus morbi experiri.

In ipsis circulationis fontibus, in corde et majoribus vasis feminarum vitae struuntur insidiae, si lactis usum praebendi negligant. Ubi situm, quid agat, quibus involucris veluti vestiatur, quibus partibus circumdetur, consideremus cor; et clarius luce patebit, compressum illud ex diaphragmatis elevatione postremis graviditatis mensibus, strictiusque a pericardio circumdatum in suo normali statu conservari non posse. Huc accedit etiam in pulmonibus circulatio impedita ex restrictione cavitatis, communicatio praeterea pleurae cum peritonaeo, et causis inde inevitabiliter consequentibus omissis, si universalis plethora consideretur, quae in puerpera apparet, nisi in usu lactis praebendi remedium quaeritur, facile erit cognoscere et explicare quomodo in universali systematum elatione nata phlogosis rapide diffundatur ubique, et praecipue si originem habeat



(1) Langhans. Von den Krankheiten des Hofes und der Weltleute.

8116

in peritonaeo, illico transeat ad pleuram primum, deinde ad pericardium, et producat denique pericarditidem puerperalem, quae plerumque in hydropericarditidem desinit, ut egregie loquitur Testa (1). Ab hoc stheniae genere et praecipue a secernente et exhalante systemate derivandas existimat ascites illas, quae lacteae appellantur, quaeque in puerperis brevi quatuor supra viginti horarum spatio generantur interdum non sine gravi et imminenti vitae periculo.

Organon illud ex structurae perfectione tam admirandum, ex usus varietate multiplicis tam necessarium, cutem dico, qua ceterae quodammodo nectuntur partes, sensu aliquo procul dubio afficiatur necesse est in feminis illis, quae prolis lactandae curam non adhibuerunt. Excellentissimus enim de hac re scriptor Alibert generatim loquendo herpetem ex lactis abundantia in feminis oriri testatur, et longam observationum seriem ad id confirmandum adducit (2).

Si quis attente considerare vellet quibus de causis et qualibus saepenumero fiat, ut oculorum acies laedatur, facile cognosceret, quemadmodum naturalium suppressiones curationum, quemadmodum metastases per exanthemata retroactas, ita et lactis metastasin in ejusmodi causarum numero esse ponendam. Sic oculorum suppressio-



(1) Testa, Malattie del cuore Tom. 3.
(2) Alibert, Malatt. della pel. Tom. 1.

nes quaedam, et recurrentes speciatim ophthalmïae, quibus mulieres obnoxiae evadunt, fortasse melius explicarentur, si ad eamdem recurrendum esset causam. Sed quis omnes hujusmodi morbos introspicere et examinare non dicam, dicam potius enumerare contenderet; cum de praejudicata et praeconcepta opinione is merito accusari posset, qui ab usu lactis negandi quaecumque in feminas detrimenta derivaret? At illud in veritate versatur, quod multis consentientibus auctoribus recordari licet, inter diversas humoris aquaei condensationes sic dictam hypogalam esse recensendam, quae praeclarissimorum ceteroquin virorum consensu lactis veluti collectio habetur in oculis ex suppresso in mammis fluido producta. Ob quam si in aliis ejusdem generis vitiis oculorum danda est solummodo opera ut absorbeatur materia; hoc in casu e contra curam ita decet dirigere, ut ad debitum mammae munus revocentur. Materiarum collectio ab oculo male adfecto hoc removetur pacto, atque effectibus simul causaeque medetur.

Ex eo quod satis pro viribus demonstratum est, uti opinor, matribus non lactantibus multa numero et acerbitate gravissima detrimenta naturam summopere laesam infligere, non sit qui me ita de hujusce materni muneris pondere atque adeo necessitate loquutum fuisse putet, ut singulis indiscriminatim matribus alendi suos injungere officium velim.

Haud raro profecto fit, ut mater sive ex eo

quod lacte careat, aut sit orbata papillis vel ipsas majores habeat sive ultra normam minores, nullo prorsus modo filios lactare valeat. Ad id pariter impar vel minus apta evadit, si contagioso morbo laboraret; si aliquam ad phthisim praesertim hereditariam dispositionem praeseferat; si ad arthritidem, rachitidem, epilepsiam, scrophulas aliosque systematis lymphatici morbos esset disposita; si corpore tam infirmo et delicata adeo constitutione, ac exquisita nervosi systematis sensibilitate praedita, ut proinde convulsionibus et nervosis adfectionibus cruciaretur; si suos proprio lacte nutriret natos, talique pacto sibi propter humorum jacturam nec non filio ob magnum nervosi systematis in lactis secretione influxum, detrimentum maximum adferret. Posset etiam contingere, ut mater nimis aetate provecta sit, et propterea viribus destituta et organicis mammarum vitiis obnoxia. Adde praeterea quoscumque morbos acutos, febres praeter modum inflammatorias; in quibus singulis consultius agunt mulieres si a lacte praebendo abstineant.

Quamquam vero non aeque omnibus haec arrideat opinio, ex eo quod observatum fuerit a nonnullis, mulieres putrida febri, carceraria, maligna, biliosa et nervosa aliquando laborantes, morbo non intermisso et absque detrimento suos lactare potuisse; tamen humilioris humoralis pathologiae sectatores esse minime oportet, ut in acutissimis morbis lactandi consuetudinem improbemus. Concedatur quidem nullum prorsus morbosum, uti a-

junt, principium a matre in filium primitus transire, facillime tamen semper intelligi poterit, in illa secretionum summa perturbatione, quae febrim sequitur et comitatur, lac in sua qualitate et quantitate commutari debere, nec ideo utiliter infantibus dari posse. In permultis morbis febrilibus atque inflammationibus saepe lactat mulier cum sui ipsius et filii detrimento; alias ubi abundat secretio lactis, humor in matre non certe inutiliter, interdum etiam necessario videtur elici: humor autem lacteus elicitur hoc in casu vel arte vel aliorum praeterquam pueri suctu.

Cum vero morbi vel vitia utcumque localiter in mammis exsistant, veluti glandularum inflammationes, tumores systematis lactei, ulcera, scirrhus et cancer, juvat a lactando desistere. Quod si perduret secretio lactis, ita ut extrahatur necesse sit, extrahendum per alios non ab infante existimamus. Hinc numquam satis matribus commendatur mammis, quamdiu lactant, curam esse diligentiamque adhibendam; cavendum praecipue ne quid sua culpa contingat quod ejusmodi morbos producere in ipsis et exasperare possit. Illud denique observatum a nobis erit, non omnibus aeque matribus imponendum esse onus lactandi, licet apposita fortasse indole et bona corporis utantur constitutione. Eas siquidem omnes exceptas esse volumus, quae cum in alto conditionis et dignitatis gradu sint constitutae, ita versari debent inter homines, ita societatis legibus inservire, ut certam vivendi rationem diaeteticam sequi

nequeant, ac proinde nec muneri filios lactandi, prout convenit, satisfacere.

Matres igitur, quotquot estis, sapientia ut par est atque sagacitate praeditae, naturae consilium ne aspernamini: prosequiminor amore filios, nec unquam nutrici committite prolem vestram. Huic, nisi aliter necessitas imperet, materno muneri satisfaciendum vobis esse putate. Quaenam unquam sollicitudo, quae aliena cura, quis amor cum vestris comparandus affectibus? Si vobis id natura tribuit providentissima, quod summa cum utilitate aliis exhibere potestis, cur de vita filiorum adeo parum sollicitae eos mercenariae traditis feminae nutriendos? Non vos leves molestiae, non labor aliquis tenuis, non breves vigiliae a lactando deterreant, animis vestris infigentes ea, quae ad rem praeclariss. Bertolotti (1): *La tomba di Rousseau*, ita ille, *ricevette una offerta degna di lui, e la più dolce insieme ricompensa de' suoi travagli. Una bella e giovinetta donna, novellamente divenuta madre, venne a visitare l'isola de' Pioppi* (2) *portando in braccio ed al seno il pargoletto pur testè da lei posto alla luce; e adagiato sulla tomba disse: Se tu non fossi stato, o Gian Giacomo, io non adempirei il più sagro de' doveri, nè la maggior dolcezza della vita potrei gustare. Senza di te il mio figliuolo suggerebbe il latte di alcuna straniera, ed io appena mezza madre sarei. Ricevi, o Rousseau,*



(1) David. Bertolotti, Amore e Sepolcri Vol. 2.
(2) Locus ubi J. J. Rousseau sepulcrum prostat.

il tributo della mia riconoscenza, e in questo dire lasciò cadere dal nudo petto alcuna stilla di latte sopra l'onorato sepolcro. Si tantum apud feminam potuit vox una philosophi, nihilne apud vos poterunt argumenta physiologorum, nihil medicorum consilia, nihil denique matrum sui muneris oblitarum calamitas et infortunium?

THESES DEFENDENDAE

I.

Nunquam licet in male affecto organismo tentare medicamen, cujus natura et vis adhuc latent.

II.

Matres, quae filios aliis nutriendos dant, animi affectionem vinculumque amoris interscindunt et persaepe diluunt.

III.

Blenorrhagia etiam sine ulceris praesentia luem veneream gignere potest.

IV.

Frigus triplici modo suam exercet actionem contrastimulantem, physico, chemico et dynamico.

V.

Haemorrhagiarum divisio in activas et passivas inutilis.

VI.

Morborum psychicorum distinctio a medico philosopho ex prima vel potiori animi mentisve adfectione repetenda.

VII.

Doloris natura una eademque est in omni morboso statu.

VIII.

Effectus contagii syphilitici non tolluntur nisi per mercurialia.

IX.

Summam variolae vaccinae efficaciam frequentiores variolarum epidemiae haud in dubium revocant.

X.

Quidquid nostris temporibus de variolae vaccinae vi ad annos tantummodo extensa, et de nova ipsius insitione disserere juvat, ex observationibus non una in urbe unove imperio, sed in tota Europa, immo in universo cultiori orbe institutis eruendum.